

Walbur-
gæ Heri-
siensis An-
tistitis pri-
mæ San-
ctitas.
Vita D.
Remb. c. 15.

tæ integritate imitata Walburgis, pulcherrimum sese sanctimoniacæ exemplum dedit; cuius rei primo testimonium poterimus sumere ex auctore vitæ D. Remberti, tum ex ipsius D. Remberti epistola. Auctor scriptor vitæ ita refert: *D. Rembertus epistolæ nonnullas edificationis plenas ad diversos composuit, quarum una est ad quandam Dei ancillam in monasterio, quod dicitur Herisi, constitutam, cæterasque sorores ibidem in Dei famulatu consistentes. Hæc autem famula Dei, de qua loquimur, neptis erat Venerabilis Episcopi Luithardi, cuius supra mentionem fecimus, qui se sancto viro cum omni devotionis affectu ita devinxerat, ut non solum ipse sanctitatis ejus amator existeret, verum etiam omnes ad se quoquo modo pertinentes illi commendare studuerit, præcipue istam, de qua loquimur, ab infantia Deo oblatam, et in virginitate permanentem neptem suam, quæ et propriâ devotione meruit ut unicam dilectionis suæ filiam vir sanctus eam nominare solitus sit. Quantum hic auctor & Luithardum, & neptem à sanctitate commendat? quæ tamen non neptis, sed ipsa soror Luithardi, & Virginum antistes erat reputanda; quemadmodum in diplomatis allatis Luithardi soror asseritur. Ipsam vero D. Remberti epistolam, ad Walburgam & Virgines ejus sanctæ congregationis, plenam divino Spiritu recitat auctor vitæ ejus. Alterum sanctimoniacæ testimonium ex sepulchri inscriptione producimus, quod ejusmodi hodie legitur.*

H I C V E N E R A N D A J A C E T W A L B U R G,
Q V Æ M E N T E V I R I L I
*HOC ET S T R U X I T E T * H O C R E X I T P R I M A
M O N A S T E R I U M
S U B J E C T I S V I T Æ T R I B U E N S E X E M P L A B E A T Æ
E C C L E S I A Æ C U N C T A S A M P L I F I C A V I T O P E S .
N U N C T E C H R I S T E P I U M V I D E A T , Q V E M
S E M P E R A M A V I T
U T D E X T R I S I L L A M C O N S O C I E S
O V I B U S .
I I I I N O N . M A R T . O B I J T .

De anno obitus, quem adscriptum non invenio, parum, ut in alijs, solliciti veteres. Sepulchrum ceteris erectius è terra hodie dum aspicitur in adsito Ecclesiæ Sacello. Multis exinde Sanctorum lipsianis, seu regio dono, seu Episcoporum procuratione, exornatum Herisiense Collegium; inter quæ D. Saturninæ & Fortunatæ Virginum ossa duobus fastigiatis & inauratis tumulis inclusa, expositaque ad cultum populi, & patrocinium loci eminent. Id quod testantur apud nos monumenta Bustorffiana, in notis ad Bedæ Martyrologium adscriptis,